

27.
DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
VENAE-SECTIONE
GRAVIDIS SVADENDA

QVAM
SVB AVSPICIIS DIVINI NVMINIS
CONSENSV GRATIOSISSIMAE FACVLTATIS
MEDICAE
PRAESIDE
CAROLO AVGVSTO à BERGEN

MED. DOCT. ET PROFESS. PVBL. ORD.

Ejusd. FACVLTATIS h. t.

DECANO

PROMOTORE AD CINERES COLENDO

PRO GRADV DOCTORIS
ET PRIVILEGIIS HVIC DIGNITATI COMPETEN-
TIBVS LEGITIME OBTINENDIS

IN REGIA VIADRINA
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTET

AVTHOR

CHRISTIANVS KRAVSE

Zamoscio - Polonus.

MDCCLXIV. d. 22. Febr.

FRANCOFVRTI ad VIADRVN,
TYPIS SIGISMVNDI GABRIELIS ALEXII.





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
VENAE-SECTIONE GRAVIDIS SVADENDA.

PROOEMIUM.



*Nter varias variorum Corporis humani affe-
ctuum medelas, VENAE-SECTIONEM
prudenter institutam non ultimum sibi vindicasse & ad usque vindicare locum, iis minime ignotum. qui Arti Hippocraticæ sua consecrare Studia. Neminem enim huic Arti deditum latere debet, dari varias corporis vivi affectio-
nes, quæ unice soli Plethoræ originem debent. Quis quæso dubitabit homines fieri posse Plethoricos, si nonnullorum naturalem ad contrahendam Plethoram Dispositionem, in aliis ob lautam Dietam & vitam sedentariam copiosi Sanguinis generationem accuratius perpenderit. Sat superque constat, quotidianaque edocemur experientia plurimos corpora*

A 2

Pletho-

Plethoricorum affligere morbos, exemplo sint congestiones, inflammationes, stagnationes, indeque oriunda Lipothymia Apoplexia Epilepsia, Lethargi alique plures affectus, quibus fontem ac originem nimia Sanguinis suppeditat accumulatio. Ast quæ certior hisce in malis medela? quid promptius atque præstantius adfert auxilium, nihil præ Venæ Sectione rite ac prudenter instituta. Remedia resolventia, discutientia, attenuantia, Sanguinem purificantia certiores præmissa Venæ-Sectione præstant effectus. Verum generalem de Venæ-Sectione tractationem instituere rem prolixioris Argumenti esse existimo. Itaque sufficiat mihi pro Sæpe DISSERTATIONIS INAUGURALIS electum Thema DE VENÆ-SECTIONE GRAVIDIS SVADENDA, ad quod pertractandum sine ulterioribus ambagibus prolixiorique Præfamine me accingo, Supremum Numen prius devotis implorando precibus, ut tam præsentī labori, quam cæteris meis conaminibus Divinam suam benedictionem largiri dignetur.

§. I.

An tequam paulo proprius Thematis hujus Tractatio debite exponatur, statim in limine præmittenda erit Definitio Venæ-Sectionis. Est autem Venæ- Sectio operatio Chirurgica, qua Sanguis ex Vena hominis vivi sanitatis causa ad voluntatem medentis effunditur. Utebantur quidem Veteres Medici alia adhuc simili operatione Chirurgica, dum aliquando Sanguinem etiam ex arteriis emittebant, quæ vero arteriotomia post inventam Circulationem Sanguinis æque ac selectus venarum peculiarium in diversis morbis jam merito est rejicienda. Postquam enim præstantissimum illud Harvæi inventum Medicis innotuit, quod Sanguis per univèrsum corpus ubique ex arteriis earumque ramis ad venarum furculos harumque truncos majores perenni circulatione transferatur, jam perinde est, quod-

quodnam vas sanguiferum sub emissione sanguinis incidatur. Sed quoniam arteriarum pulsus singulis momentis subsiliens earundem aperturæ consolidationem difficilem reddit; venarum autem incisiones multo facilius obliterantur, propterea jam meliori jure potius venæ secantur, posthabitis Arteriarum incisionibus.

§. II.

Est omnino Venæ-Sectio per se *operatio Chirurgica*, quia mediante idoneo instrumento in homine vivo sanitatis causa per Chirurghum peragitur. Attamen cum illa sanitatis causa suscipiatur necessario quoque *medela* sive *medicamentum* dici meretur: quicquid enim vel ad præsentis sanitatis conservationem, vel ad ejusdem amissæ restitutionem conferre valet, jure meritoque medicamentum appellatur.

§. III.

Quoniam Venæ-Sectio tanquam medicamentum sanitatis causa in homine vivo est suscipienda (per § I.), quilibet facile perpendet eam ex voluntate medentis esse dirigendam: igitur jam determinabit Medicus secundum suam peritiam, quam frequenter, aut quam copiose sanguis ad individui commodum sit evacuandus. Merito semper habendus est respectus ad vires & reliquas objecti circumstantias, ut effectus hujus remedii desideratus obtineatur: ne scilicet sanguinis quantitas justo parcioremissa effectum reddat frustraneum, aut ejus copia nimis largiter profusa necessarias vires prosternat ac totum corpus insigniter debilitet.

§. IV.

Quia secundum Definitionem (§ 1.) Venæ-Sectionis sanitatis causa suscipitur, jam disquirendum erit, quidnam utilitatis præstet Venæ-Sectionis, ut ea jure meritoque dici queat, *remedium ad Sanitatem restaurandam aut conservandam idoneum atque necessarium?* (§ 2.) Ubi notandum ipsum quidem sanguinem in genere ac per se consideratum jam merito dici posse *remedium universale* illius corporis, in quo ex sapientissima Almi Creatoris voluntate perenni ac æquabili motu per vitæ decursum circulatur: quia motu hujus fluidi periodico omnes secretiones humorum & excretiones impuritatum quotidie conservantur, sine quibus secretionibus & excretionibus nec vita nec sanitas hominum diu duraret. Ast cum Sanguis quantitate peccare incipit, brevi æquilibrium inter partes solidas & fluidas turbatur, se- & excretiones intercipiuntur, quæ tamen impedimenta administrata Venæ-Sectione facile tolluntur, pristinaque sanitas restituitur.

§. V.

Sed transeamus ad specialiora, ipsiusque sanguinis propriam indolem, ut Venæ-Sectionis utilitas effectus atque potentia clarius pateat, accuratius perpendamus. Quoniam Sanguis est humor gelatinosus, variis partibus constitutivis & quidem diversæ sibi que contrariæ indolis commixtus, videlicet fluidis & solidis, aquosis, oleosis, terreis, salinis atque sulphureis, quas partes constitutivas analysis Sanguinis per experimenta palam demonstrat, (vid. Dissertatio Illustris HOFFMANNI de *Judicio ex Sanguine*
per

per Venæ-Sectionem emisso, & Excellentissimi à BERGEN ejusdem Thematidis): quilibet facile perpendet has partes sibi diversas varia ratione lædi, hocque modo omnem Sanguinis crasin subinde vitiari posse: etenim quia in Sanguine optime constituto fluidæ & solidæ partes, harumque singulæ per se consideratæ justa quadam proportione invicem sunt sociatæ, ita sæpissime fieri potest, ut quævis harum partium sanguinem constituentium proportionate vel abundant vel deficiant, licet per se consideratæ satis bonæ sint indolis; **vel** etiam ipsa constitutio harum partium naturalis facile diversimode vitiari potest, quæ utraque mutatio universo Sanguini præternaturalem conditionem ac discrasiam, tandemque in corpore varios morbos gravissimos progenerare valet.

§. VI.

Negari quidem non potest, sanguinem quandoque quoad naturam & crasin suam magnopere vitiatum, non tamen semper aut statim morbum inducere, dummodo ille debite ac expedite per omnes corporis canales moveatur; quæ tamen sanguinis impuritates post moram magis magisque cumulatæ tandem in visceribus stagnant, ibidemque eò altiores morborum gravissimorum agunt radices, ut sæpe vix ac ne vix quidem debellari queant, si nempe fluidorum crasis vitiatæ post moram acquisitam simul viscerum & solidarum partium tonum penitus destruxerit.

§. VII.

Præterea notandum est sanguinem quoad crasin & qualitatem optimum posse tandem quo ad quantitatem
exce-

excedere, & hac ratione circuitum, seu motum æquabilem ac proportionatum turbare, imo ad stagnationes & obstructions in visceribus proximam causam suppeditare, quæ obstructions viscerum secundæ morborum chronicorum matres Medicis merito audiunt. Et licet hæc abundantia sanguinis, quæ *Plethora* dicitur, ab initio non statim obstructions producat, negari tamen non potest vasa sanguifera nimis repleta ac distenta liquorem vehendum difficulter propellere, adeoque circulationem sanguinis hoc modo solito retardatam pariter ad varios morbos prognerandos ansam præbere. Sic *Plethora* sæpissime varias inflammationes, febres acutas, putridas, exanthemata, imo sphacelum ipsamque apoplexiam aliaque mala producere valet.

§. VIII.

Ex his allatis luculentissime patet, quod Sanguis tam quoad crasim suam, quam quoad abundantiam vitiosus, adeoque vel qualitate vel quantitate peccans ad morbos varios in corpore producendos sufficientem præbeat causam (§ 5. 6. & 7.). Hæc autem morborum causa nullo remedio efficaciori ac promptiori removeri potest, quam ipsa Venæ-Sectione tempestive administrata: sublata enim causa ipse tollitur effectus. Quia namque sanguis per Venæ-Sectionem ad voluntatem medentis effunditur (per § 1.) ideo illa quantitas sanguinis, quæ respectu virium ægotantis ex tota ejus massa aufertur, vasa sanguifera quadantenus evacuat, ut deinde reliquus sanguis per vias magis patulas redditas jam multo liberius & promptius circulum suum absolvat. Consistit itaque *effectus & usus Venæ-Sectionis* potissimum in evacuatione vasorum sanguinem

guinem vehementium, utpote qua mediante jam circulatio multo expeditior redditur: quia ad humidum per tubulos patulos propellendum minor sufficit potentia movens, quam si per canales admodum repletos aut penitus infarctos liquidum esset propellendum.

§. IX.

Haud difficulter jam inde patebit, quod Venæ-Sectionis optimum & præstantissimum sit remedium in Plethora, quæ est abundantia sanguinis. Potest autem sanguis duplici modo in corpore abundare videlicet vel quoad vasa, vel quoad vires: sic *Plethora respectu vasorum* illa dicitur, ubi vasa sanguifera à sanguine justo copiosiori adeo distenduntur & turgent, ut per illa trajiciendus sanguis validum requirat conatum, solitoque majorem potentiam propellendi, alia vero *Plethora respectu virium* audit illa, quando sanguis quantitate sua in vasis non quidem excedit, neque vasa debito modo turgidiora observantur, sed potius ipsum robur ac tonus vasorum nimis est debilitatus, quare ordinaria sanguinis quantitas etiam in hoc statu per canales pariter lente ac difficulter propellitur, unde ob motum retardatum stasis sanguinis æque facile in visceribus generatur, quemadmodum illa, quæ ex abundantia oriri solet. In utraque autem tali plethora Venæ-Sectionis conducit, quia in priori copiam sanguinis imminuit, in altera vero vires debiles solidarum partium sanguini per Venæ-Sectionem magis imminuto vehendo sufficientes reddit.

§. X.

Varia igitur sunt rationes, quæ suadent, ut Venæ-
 B Sectionis

Sectio fit instituenda. Commendari autem solet Venæ-Sectio potissimum vel præservationis vel curationis causa. *Venæ-Sectio præservationis causa suscepta* peragitur sapissime in hominibus adhuc in statu sano constitutis, qui vel vitæ sedentariæ, vel diætæ lautiori dediti, aut etiam Plethoræ ob dispositionem obnoxii sunt. Quemadmodum enim securius est in pace de bello cogitare & hostium insidias testosque insultus prudenter ac opportune avertere, quam pericula cum impetu jam irruentia majori conatu difficulter demum repellere: sic quoque faciliori negotio imminentes morbi præcaveri, quam alii jam vigentes penitus profligari possunt. Quoniam autem multi homines vita gaudent sedentaria, quæ abundantiam indeque oriundas stagnationes sanguinis facile producit; plerique etiam vel ex diætâ justo lautiori vel ex naturali dispositione plethoram sibi contrahunt, propterea Venæ-Sectio præservatoria multis hominibus consulto est svadenda.

§. XL

Alia autem *Venæ-Sectio, quæ curationis causa suscipitur*, locum habet & svaderi potest hominibus, ubi adsunt vel impuritates & discrasia sanguinis (§ 5.); vel ubi tonus viscerum & solidarum partium est destructus (§ 6. & 9.); vel ubi stagnationes & obstructiones à plethora in visceribus generatæ, indeque propullulantia adsunt mala (§ 7.) in quibus circumstantiis Venæ-Sectio sapissime se commendavit tanquam utilissimum & præsentaneum remediâ & omnibus aliis præferendum, teste ipsa experientia quotidiana. Etenim impuritates sanguinis per Venæ-Sectionem facile ex corpore eliminantur; observamus enim, primam partem

partem sanguinis emissi plerumque multo esse impuriorum sequentibus portiunculis è vena subtractis, unde diducari potest, quod sanguis reliquus in corpore relictus tali modo à sordibus depuratus sit, & quod morbi ex impuritatibus & discrasia sanguinis vel imminentes vel jam præfentes quam facillime averti atque curari possint. Pariter quoque Venæ-Sectione tempestive administrata tonum viscerum & solidarum partium robur mirum in modum restaurare valet, dum illa partim impuritates ipsas in visceribus cumulas educit, partim quoque lentiori sanguinis progressui in plethora respectu virium medetur (§ 9). Denique stagnationes & obstructions sanguinis in visceribus atque gravissima inde propullulantia mala nullo profecto alio remedio melius, citius ac securius profligari possunt, quam Venæ-Sectione in tempore instituta: sublata enim morbi causa tollitur quoque effectus, seu morbus ipse (§ 8.).

§. XII.

Expedit nunc, ut quandantenus exploremus, quænam circumstantiæ & causæ in *mulieribus gravidis* communiter occurrant, quæ præ aliis medelis etiam Venæ-Sectionem omnino requirunt? Ante omnia bene notari mereatur sexum sequiorem in genere plerumque gaudere teneriori simulque laxiori & spongiosiori habitu corporis respectu virorum, quæ textura spongiosa plures & graciliores furculos vasorum sanguiferorum admittit, quam alia structura densa, solida minusque porosa, qualem sexus nobilior ostendit, ubi rami vasorum quidem ampliores pauciores tamen furculi notantur. Præterea quoque observamus, foeminas secundum suam dispositionem naturalem ad sanguinem prognerandum, adeoque ad plethoram contrahendam

hendam præ viris multo magis esse proclives, quod fluxus menstruus & lochiorum proventus quandoque copiosissimi luculentissime comprobant. Ne dicam de aliis hæmorrhagiis apud fœminas abortis, ubi incredibile sæpe sanguinis copia, citra tamen vitæ interitum profusa & paucis diebus iterum restituta conspicitur. Quæ omnia fœminarum proclivitatem ad plethoram facilem palam ostendunt.

§. XIII.

Fertilis hæc Sanguinis generatio in mulieribus fœcundam largitur multorum morborum causam: quare fœminæ præ viris bis agrotare dicuntur. Dum enim uber sanguinis proventus per vasa tenuia & gracilia transferri debet, fieri non potest, quin per vices multiplices contingant stagnationes & obstructiones in partibus carnosis & diversis visceribus, ex quibus iterum varii motus spasmodici, ebullitiones sanguinis seu phlogoses, oppressiones, anxietates aliique dolores in diversis partibus producuntur. Et quando difficilis ejusmodi sanguinis transitus diu continuat, tunc turbantur simul humorum secretiones & excretionès naturales, ut graviora adhuc morborum periculà sint metuenda: exemplo sint chlorosis & leucorrhœa infelices passionis hystericæ comites.

§. XIV.

Aliæ adhuc occurrunt circumstantiæ, pluresque in gravidis morborum causæ. Ipse Status gravidus jam per se est quasi præternaturalis, quia omnes motus humorum & funcio-

functiones naturales subinde variis impedimentis aut retardantur aut quandoque accelerantur, aut etiam ad tempus penitus intercipiuntur; ut propterea gravidæ frequentem exposcant medelam. Contingit hæc motuum & functionum mutatio potissimum à *menstruis post conceptionem cessantibus*, qui sanguis retentus phlogoses, anxietates, oppressiones pectoris, lassitudines artuum & passiones hystericas sæpe numero producit. Præterea nonnunquam ex improvise sentiunt gravidæ fastidium ciborum imo vomitum, cum maximo desiderio antea comestorum, imo nauseosa conamina frequentem vix aliquid comedere permittunt, præsertim primis post conceptionem mensibus. Sæpe etiam è contrario observatur insolitus plane rerum inusitatarum appetitus qui *Pica* vocatur; aut etiam insatiabile ciborum esui quidem destinatum desiderium, quod *Malacia* nominatur. Plura deinde incommoda & morbosa circumstantiæ sociantur, quoties ob augmentum embryonis postea venter magis magisque intumescit & ipse fœtus membrorum motu inconferam sensationem concitat.

§. XV.

Neesse jam est, ut hoc loco paulo uberius consideremus, quænam mutationes in gravidis post peractam conceptionem plerumque naturali modo contingant? Ubi primo loco attendi meretur illa sanguinis quantitas, quæ extra graviditatem statis mensium intervallis per uterum eliminabatur, jam in gravidis ad nutriendum fœtum retinetur: communiter namque fit, ut integer fluxus menstruus statim post conceptionem per totum gestationis tempus penitus deficiat, quanquam etiam non ignotum sit nonnullas

reperiri foeminas, quæ primis post conceptionem mensibus, imo diutius adhuc fluxum hunc, si non omnem, aliquem tamen experiri soleant.

§. XVI.

Est autem *Fluxus Mulierum menstruus* sanguinis floridi post decimum quartum aetatis annum in vasis uteri sanguiferis collecti, excretio, qui sanguis eum potissimum in finem circa uterum cumulatur, ut Embryoni demum concepto nutrimenti gratia inserviat; qui vero nulla facta conceptione singulorum mensium intervallo stato tempore abundans per vaginam uteri expellitur. Unde apparet, quod benigna natura in foeminis semper sollicita sit alimentum in promptu habere, licet saepe præter necessitatem id fiat uti contingit apud virgines & illas foeminas, quæ steriles sunt, & nihilominus fluxu menstruo sat regulari gaudent.

§. XVII.

Solet ubique provida natura rebus nutriendis adeo benigne prospicere, ut semper alimentum ad partes alendas in majori copia apportetur, quam necesse est. Ne dicamus de partibus monstrosis & tumoribus variis præternaturaliter in corpore generatis, qui a copioso affluxu sanguinis nutritionem & augmentum capiunt, licet sint membra plane inutilia. Luculentum jam hac de re exemplum præbet omnino sanguis menstruus plerumque multo copiosior collectus, quam foetus nutriendus eundem requirit. Evenit propterea, ut saepe in gravidis ex abundantia sanguinis menstrui retenti variæ congestiones spasticæ, graves passio-

passiones hystericae, vel varices aut haemorrhoides proveniant; nec desunt exempla gravidarum, quae de sanguine menstruo per totum gestationis tempus contingente (§ 15.) vel per haemorrhagias narium, haemoptyses, haemorrhagias uteri, per mammam, aut per alia loca plane insolita excreto abunde testantur. Omnes isti casus sufficienter comprobant, quod natura gravidarum saepe plus sanguinis in corpore generare atque colligere solet, quam nutriendus foetus desiderat.

§. XVIII.

Quando Sanguis iste in gravidis abundans per praedicta loca (§ praecedente) non evacuatur, sed intus in corpore retinetur, tunc oritur omnino *Plethora insignis*. Vasa itaque sanguifera magis distenduntur, praesertim circa uterum: quoties enim contingit, ut gravida ultimis mensibus ante partum moriantur, toties earum vasa spermatica, quae in statu ordinario vix setam porcinam crassitie aequant, jam ad diametrum calami scriptorii distenta reperiuntur, & quoniam reliqua uteri vasa pariter sanguine copioso turgent, hinc mirum non est, cur uterus gravidarum in immensam molem adeo minifice expansus tamen non attenuetur, sed potius eandem servet crassitiem, quia scilicet tota substantia uteri admodum vasculosa à vasis ubique turgentibus magis spongiosa redditur. Neque solum circa uterum sanguis in gravidis copiose cumulat, sed etiam in toto earum corpore idem contingit: comprobant hoc varia symptomata in gravidis obvia (§ praecedente), quae alias plethoricis sunt familiaria, praeterea quoque de hujus asserti veritate satis superque testatur lactis in mammis gravidarum generatio, quippe quod lac ex sanguine

sanguine ibidem copiose cumulato propter tardiores ejus circulationem in glandulis mammarum adiposis elaboratur. Ex his evidenter apparet *plethora presentia* in foeminis gravidis praesertim in illis, quae vitae sedentariae atque laetae ac voluptuosae diatae sunt deditae; aliae namque mulieres vi-
lioris fortis, quae corpora sua graviore labore quotidie commovent, in statu gravido plethoram raro subeunt, quia earum labor & agitatio membrorum circulationem sanguinis ejusdemque per transpirationem imminutionem valde adauget.

§. XIX.

Ex tali Plethora in gravidis facile atque communiter generata oriuntur deinde congestiones sanguinis & spasticae constrictiones nervorum in variis partibus corporis, quae varia ibidem mala producant. Sic *congestiones versus extremitates praesertim inferiores factae* efficiunt dolores spasmodicos lumborum & coxarum, aut varicosas vasorum distensiones in cruribus, tumores pedum, haemorrhoides caecae, quandoque etiam stranguriam, *ex congestionibus in capite* generantur facile cephalalgia, odontalgia, otalgia, vertigo aut lipothymia; deinde *a congestionibus in pectore*, fiunt saepe nausae, vomitus, oppressiones praecordiorum, constrictiones faucium, tussis sicca, aut cardialgia: quae cuncta symptomata quidem periculosa non sunt, quia post exclusum foetum sua sponte cessant; majoris vero momenti sunt *congestiones in abdomine contingentes*, utpote quae praeter gravissimas passiones hystericas etiam fortiori spasmodica nervorum constrictione abortum procreare valent. Unde appareat, quod omnium horum congestio sanguinis & spastica nervorum constrictione ex plethora producta.

§. XX.

§. XX.

In specie autem hic notari meretur *diversa* plane *gravidarum mulierum in selectu alimentorum propensio*: alix namque vix ullis delectantur cibis, & quos equidem desiderant, illos vix deglutitos cum nauseoso fastidio iterum evomunt; alix vero res plane insolitas, imo noxias anxie devorare cupiunt, de quibus miræ referuntur historia. Quanquam autem hac propensio gravidarum ad alimenta admodum sit diversa, unam tamen eandemque agnoscit causam remotam, videlicet Plethoram: cum enim in principio ingravidationis vasa sanguifera valido adhuc robore prædita sanguini menstruo nondum superfluo resistant, naturalis quadantenus viget appetitus, ast subsequente copiosiori sanguinis accumulatione, indeque turbato inter solida & fluida æquilibrio, oritur infarctus in visceribus, præsertim infimi ventris, qui humorum infarctus in quibusdam feminis sæpe fortiores spasticas constrictiones ventriculi atque intestinorum excitat, quare in his mulieribus ventriculus spasmodice justo arctius constrictus optima quæque alimenta vix deglutita facile ejicit, in aliis autem gravidis invertitur ex tali sanguinis infarctu genuina indoles liquoris gastrici aut pancreatici, aut ipsius bilis, ut præfati liquores ad alimenta digerenda fiant inutiles, quorum vitiatam indolem ac dyscrasiam postea harum muliercularum perverfus appetitus per varias res inusitatas deglutiendas, v. g. per cretam, calcem aut carbones &c. imprudenter corrigere studet, unde fortassis illæ etiam assumptis talibus rebus absorbentibus aliquod levamen sentiunt. Non quidem negamus subesse etiam in ejusmodi perverso appetitu sæpe singularem animi affectum, aut aliquam mentis ac voluntatis

C

tatis

tatis perturbationem adeoque vitium quoddam morale; attamen in hoc phænomeno erüendo nequaquam prædictæ causæ naturales sunt prætereundæ, nisi obscurum per æque obscurum explicare velimus.

§. XXI.

Accrescente postmodum fœtu plura simul augentur incommoda. Corpusculum namque Embryonis cum singulis suis membris quotidie latius evolutum, postea secundinarum moles pariter magis magisque dilatarata & liquoris amnii quantitas aucta amplius profecto requirunt spatium: quare domicilium embryonis, scilicet uteri cavitas, sensim latius expanditur, ut ejus spatium, quod ante conceptionem in statu naturali vix fabam recipere valebat, modo jam diametrum ultra spithamam distentum obtineat. in quo fœtus perfectus cum secundinis & prædicto liquore commode recondi queat. *Ingens hæc uteri expansio citra* disruptionis merum distenta profecto satis mirari nequit; interim simul patet, quam vehementer omnia viscera in matris abdomine contenta, ab utero tam insigniter aucto comprimantur, quantusque dolor & quam multiplicia incommoda utero gerentibus fœminis exinde suscitentur? sub tali enim valida viscerum compressione sane difficillime succedit circulatio sanguinis per vasa in his visceribus contenta: quare in Vena portæ stases, congestiones atque infarctus sanguinis per omne illud temporis spatium admodum sunt familiares, quæ varia sæpe produciunt symptomata. v. g. tensionem in hypochondriis, molestam circa præcordia anxietatem, appetitum vacillantem, respirationem oppressam, frequentia profunda suspiria, somnum gravem

gravem & anxiam insomniam. Eadem compressio viscerum valide quoque comprimit nervos in his visceribus disseminatos, unde partim spastica constrictiones, partim etiam atonia, praesertim in intestinis, passiones colicae flatulentae, dolores in lumbis & alia incommoda propullulant. Nimis prolixum foret, si singula symptomata recensere velimus, quae à compressione hepatis, pancreatis, lienis, nec non renum in specie deduci possent. Et quoniam uteri expansio simul venae cavae truncum majorem in lumbis comprimit & hoc modo tardiores sanguinis regressum per eum constituit, excitantur hac de causa facile varices atque tumores pedum aliaque molestae circumstantiae superius (§ 19.) uberius recensitae.

§. XXII.

Gravissimum malum gravidis superveniens est *abortus*, sive partus immaturus, quando foetus nondum perfectus vel vivus vel mortuus ante ordinarium partus tempus excluditur. Ordinarium enim & legitimum hominum parturienti tempus est finis noni mensis solaris; ita omnes illi foetus, qui citius in lucem eduntur, ad immaturos merito referuntur. Accidit quidem saepissime, ut etiam foetus octimestres & septimestres vivi excludantur, quia tamen ipsis justum corporis robur & membrorum firmitas deficit, ideo plerumque praematura morte abripiuntur. Dicimus eos plerumque praemature fati cedere, non negamus enim reperiri in coetu viventium nonnullos septimo vel octavo gestationis mense in lucem universi editos, qui tamen ordinarie graciliori & sensibiliiori corporis structura gaudere solent. Interim fat superque quotidiana edocemur

mur experientia, quod multo periculosior fit abortus, quam verus & legitimus partus, quia ille violentiori modo contingit, adeoque fœminis graviora damna, majoremque infert debilitatem. Et quanquam variæ adfint causæ abortum promoventes, primaria tamen & communissima est abundantia sanguinis, qua fœminæ gravidæ plerumque gaudent (§ 17. & 18.); quæ facile hæmorrhagiam uteri certissimum abortus prodromum post se trahit; cui malo avertendo egregiam atque præsentissimam opem præstabit Venæ-Sectio, præsertim medio gestationis tempore in brachio instituta.

§. XXIII.

Deinde perpendi meretur *Partus perfectus*. & annon ad eum feliciter absolvendum Venæ Sectio pariter sit utilis? Sub partu autem perfecto hoc loco minime intelligimus Fœtum maturum per novem menses in utero gestatum debiteque nutritum; verum ipsum actum naturalem, quo mediante ejusmodi fœtus perfectus ab ergastulo suo liberatur, atque in lucem prodit. *Partus* itaque, qui etiam *Puerperium* dicitur, est actus naturalis, quo mediante uteri constrictione validissima fœtus ibidem generatus, justoque tempore gestatus excluditur. Quia igitur partus mediante validissima & plerumque sæpius repetita constrictione peragitur, jam facile apparet, quod sub tali extraordinario uteri conatu vasa sanguifera in universo abdomine simul validissime comprimantur & sanguis in iis contentus præternaturali modo commoveatur, vasculisque extremis capillaribus fortissime intrudatur. Quod si itaque puerpuræ tempore partus sunt plethoricæ, tunc sanguis ille abundans jam extrema illa vascula capillaria adeo disten-

distendit, ut ea vel debitum suum tonum plane amittant, sicque sanguinem receprum ulterius propellere nequeant; vel ut penitus sub tam valida tensione disrumpantur, sanguinemque effundant: quo utroque praternaturali modo sanguis iste vel stagnans vel extravasatus segnius, citiusve putrescit, unde febres acutæ, putridæ, variaque exanthemata, purpura aut petechiæ suam trahunt originem. Quos tamen morbos gravissimis stipatos periculis *Venæ Sectio ante partum prudenter ac tempestive in pede præsertim administrata salutariter prævertere potest.* Nec ignotum est fœminas, quæ brevi ante partum plethoram ventilarunt, faciliori felicio-rique cum successu ipsum partus actum absolvisse, imminuta enim sanguinis superflui, gestationis tempore accumulati quantitate, viæ fœtui excludendo laxiores magisque patulæ redduntur, quæ præfente sanguinis copia magis turgent, adeoque se commode & sufficienter distendi vix patiuntur fœtuique excludendo fortius resistunt.

§. XXIV.

Ex iis, quæ hactenus proposuimus, abunde constat, quod non solum Sexus sequior in genere ad abundantiam sanguinis generandam ex naturali corporum dispositione præ sexu nobiliori magis sit proclivis (§ 12. & 13). Sed quod etiam status iste plethoricus in fœminis gravidis ob menstrua gestationis tempore retenta, magnopere au-geatur, quæ plethora insignis variorum malorum gravissimorum causa existit manifestissima (§ 17. 18. & 19); postea quoque, quod accrescente fœtu per successivam uteri expansionem vasa sanguifera valde comprimantur, sanguinisque circulatio admodum turbetur (§ 21); & insuper ex

aucta abundantia sanguinis quandoque abortus provocetur (§22); denique, quod puerperæ plethoricæ difficiliori par-
 tui, nec non post partum febribus acutis & exanthemati-
 bus periculofissimis admodum sint obnoxia (§ 23). Quo-
 niam vero Plethora nullo remedio efficaciore, securiori ac
 promptiori removeri potest, quam Venæ-Sectione tempe-
 stive administrata (§ 8. usque ad 11.) & cuncta gravidarum
 incommoda ac mala periculosa, à plethora, tanquam
 causa primaria generantur, (uti ubique commonstravi-
 mus): sic luculentissime jam patebit, *Venæ-Sectionem*
gravidis omnino esse suadendam,

TANTVM!



DISSER-

DISSERTATIONIS
CLARISSIMO AVCTORI

S. P.

PRAESES.

Honorem virtutis praemium esse, virtutemque sequi, sicuti umbra sequitur corpus, communi paroemia dicitur. Nec est sane, quod veram pariat gloriam, virtute quicquam aptius. Non equidem uno eodemque modo omnibus contingit fama honesta, sed quemque virtute sua clarum fieri novimus. Nobilitat suum quemque opus, & quibus virtutes in precio fuerunt, illi ad illustrem semper pervenerunt vitam viamque. Homerum illustravit Poësis, Demosthenem eloquentia, Aristidem integritas, Themistoclem res præclare gestae, & alii aliis inclaruere modis, semperque ex Ciceronis sententia divinis quibusdam donis instructi ornatique visi sunt, qui nihil in vita expetendum putaverunt, nisi quod sit cum laude, honore & dignitate conjunctum. Ex quorum vero numero quum **TE CLARISSIME DOMINE CANDIDATE**, qui tanto ab aliquot annis studio animique contentione artem Apollineam sectatus es, probe perspexerim ac noverim, non possum non mihi de
tali

tali Candidato gratulari, DEVM Optimum Maximum precatus, ut TIBI propediem in patriam reversuro & studiorum praemia reportanti, Reipublicæ inserviendi, laborumque tuorum fructum capiendi, propriisque virtutibus & meritis inclarescendi, occasionem largiatur uberrimam. Vale.

Scrib. ex Mus. d. 21. Febr.
MDCCLXIV.







00 H 6271


[1]

f

ULB Halle

3

003 571 882







DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
VENAE-SECTIONE
GRAVIDIS SVADENDA

QVAM
SVB AVSPICIIS DIVINI NVMINIS
CONSENSV GRATIOSISSIMAE FACVLTATIS
MEDICAE
PRAESIDE
CAROLOAVGVSTO à BERGEN

MED. DOCT. ET PROFESS. PVBL. ORD.
EjUSD. FACVLTATIS h. t.
DECANO

PROMOTORE AD CINERES COLENDO
PRO GRADV DOCTORIS
ET PRIVILEGIIS HVIC DIGNITATI COMPETEN-
TIBVS LEGITIME OBTINENDIS

IN REGIA VIADRINA
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTET

AVTHOR
CHRISTIANVS KRAVSE

Zamoscio - Polonus.

MDCCLXIV. d. 22. Febr.

FRANCOFVRTI ad VIADRVN,
TYPIS SIGISMVNDI GABRIELIS ALEXII.